182

93

Hasius

Vir Excellentissime, Amplissimeque

Domine et Fautor atque Patrone
Colendissime:

Non possum Virum Clarissimum Dominum Magistrum OBIAKOKUM a me dimittere, quin simul animo meo diu conceptum institutum, observantiam meam Tibi testatam faciendi, in effectum atque opus deducam. Atque ut illius quidem virtutes et singularis morum suavitas satis per se eum Tibi reddent commendatum, ut mea intercessione nihil opus habeat: ita de me Tibi velim habeas persuasum, non solum apud neminem esse Tuae eruditioni, tum in omni disciplinarum Mathematicarum sublimiorum genere, tum in Musica, cui obscurissimae pridem scientiae a Te Uno lux accensa est, majorem aestimationem, quam apud me ipsum; verum et Tuae humanitatis atque benevolentiae ratione, qua nuper judicium satis honorificum de meis laboribus in mappa Russiae et Tatariae susceptis ad Collegam meum perscripsisti, me tibi summopere devinctum atque obstrictum credere. Atque de illo excellentissimo opere tuo Musico si pluribus Tecum agere possem, jucundissimum quidem foret, sed tali commercio pretiosissimi tui temporis

jacturam caussari Tibi non sustinens hoc tamen non possum diffiteri, me alium quendam, M. nempe Mitzlero, cujus Tibi nomen, utpote in practicis aliquid ejus incepti, ignotum esse non potest, autorem fuisse, ut de dubiis, quae partim circa fundamenta totius disciplinae ipse, utpote cui Algebram a limine saltem salutare contigit, partim circa illustre tuum opus mihi proponere identidem intenderat, potius Te tanquam fontem adiret; quod et factum esse credo, eique pro tua singulari humanitate satis factum.

Quod vero ad mappam dictam Russiae attinet, dissimulare equidem non possum, me, ut Tuo benevolentissimo judicio, ita et iis, quae ab universa Academia Petropolitana, ejusque nomine ab Excellentissimo illius Praeside perscripta ad me sunt, sententiis atque encomiis mirifice quidem affectum fuisse; sed tamen concipere non potuisse, quo factum fuerit, ut devotionis specialis, quam demortuae Imperatrici exhibueram, tantisque non plane contemnendis expensis meum laborem ei Dedicatione aliqua adjecta commendabiliorem reddere volueram, adeo nulla ratio habita fuerit, unde mihi laboris exantlati ingentis et multorum annorum fructus aliquis atque recreatio rediret. Poteram quidem per se animo mihi praecipere, futurum, ut censuris quibusdam esset obnoxius meus labor ejus, vel eorum [illegible]

in quorum potestate fuerant forte, unde subsidia poterant
peti. Sed hos aequitate usuros sperabam, si vel maxime
eos non interpellassem, magis vero etiam, si conscii forent sibi
me ipsos quidem ad auxiliū ferendū invitasse, atq decen-
ter adiisse, ab ipsis vero negatam mihi esse amicabilem
talem operam. Quod factum a Domino Isleo. Sed quod
nihilominus forsan huic ipsi Domino Isleo meū factum
minus placuit, satis imputatū esto; idq saltem me ist-
hoc ipso obtinuisse saltem mihi gratulor (quod ex parte
etiam propositum mihi fuisse non diffiteor) quod jam
eo Dnus Isleus manū operi mappae per se ex suis
subsidiis conficiendae admovere coeperit. Qua vero ego
sum animi simplicitate et erga bonū publicū ardore,
quamvis apud eum non illam, quam sperare poteram,
promtitudinem expertus fuissem, tamen publici causa,
cum mihi de suo instituto indicaret, sed simul notaret,
se alio projectionis genere, quam quod a me adhibitum
fuisset, usurum, monui atq obtestatus sum, ut potius
agnita praestantia projectionis stereographicae, horizon-
talis nempe, unice huic fini aptae (quod jam in Sciagra-
phia mea cum mappa simul edita insinuaveram) ea
uti vellet, nec deformationem aliquam daret; ac praeterea
in literis eidem modū meū conficiendi talis retis pro in-
stituta mappa comunicaveram. Sed quod ipse desertam
a se hanc provinciam Tibi potius Dnno Mathematico re-
liquerit, optime factum judico, melius vero etiam, si

183v.

placuisset aut licuisset Tibi coeptam telam ad finem perducere. Quam ut dominus Heinsius eadem dexteritate pertexturus sit, ac a Temet fieri potuisset, dubitatio aliqua apud animum meum sane aliqua exstitit. Sed utut haec sint, modo certus sim de Tua ulteriori erga me propensione & benevolentia, impense mihi ~~sum~~ gratulaturus, cum sponsione atq addictione omnium humanitatis atq observantiae signorum atq officiorum, quae a me expectari possunt, divinae protectioni te commendans & quorumcunq faustissimorumq perpetuum affluxum cum universa splendidissima familia Tibi comprecans, utpote

Totus tuus, Tibiq devinctissimus

Witteberga Saxon.
1742 d. 13 April.

Johannes Matthias Hasius
Mathem. P. P.